



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd coniugati in quadragesima abstinere debeant ab vxoribus. lxxvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quod coniugati in quadragesima abstinere debeant ab
uxoribus. Cap. LXXVI.

Qui in quadragesima ante Pascha cognouerit uxorem. *Ex cōcil.
Elibertā.*
suam, & noluerit abstinere ab ea, vnum annum pœ-
niteat, aut precium videlicet viginti quinque solidorum ad
Ecclesiam tribuat, aut pauperibus diuidat. Si per ebrieta-
tatem, & sine consuetudine acciderit, quadraginta dies pœ-
niteat.

De illis qui in quadragesima diebus carnem manducare
presumunt. Cap. LXXVI.

Quicumque in Quadragesimæ diebus esum carniū *Ex cōcil.
Toletan.*
presumpserit attentare, non solum reus erit resurre-
ctionis dominicæ, verum etiā alienus ab eiusdem diei san-
ctæ communionē. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, vt in ip-
sius anni circulo ab omni esu carniū abstinere: quia sacris
diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam.

De fratre non peccante ad mortem, & ad mortem.

Capitulum LXXVII.

Qui scit fratrem suum peccare non ad mortem, po-
stulet pro eo, & dabit ei vitam Deus. Si quis vsque ad *Ex epist.
Ioannis
Euangel.*
mortem peccat, quia est peccatum vsque ad mor-
tem, non pro illo dico, vt roget quis.

Quod difficile sit grauiter peccanti sub gradu mane-
re in gradu. Cap. LXXVIII.

Quicumque dignitatem gradus diuini non custodiunt, *Ex dictis
Hierony.*
contenti fiant animam saluare: reuerti enim in eum
gradum in quo antea fuerant, difficile est.

De eadem re. Cap. LXXIX.

Qui sub gradu peccat, debet excommunicari: quia *Ex dictis
Basili
episcop.*
magna est dignitas huius nominis: tamen potest
redimere animam suam post pœnitentiam, ad prio-
rem enim gradum venire difficile est.

De eadem re. Cap. LXXX.

Qui sub gradu cecidit, post pœnitentiam contentus
fiat baptizare, communionem infirmis dare, & al-
tario tantummodo ministrare.